
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencia sobre la remisión al estado de cesante, de 15 de enero de 2016

Prot. n. 49405/14 CA

N

Remissionis in statu quiescentiae; Praecepti
(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 15 ianuarii 2016, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Antonio Maria Card. Rouco Varela, Atilio Card. Nicora atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolensky, *Ponente*, et Antonio Stankiewicz, atque intervenientibus Cl.mo Tobia Krogner-Kornalik, utpote Rev.di Recurrentis Advocato-Procuratore, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi N, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

Traducción del Prof. Jordi Bosch Carrera.

Facti species

Rev.dus X, die 14 maii 1953 in pago v.d. Y in Z natus, primum novitiatum et studia philosophica in Congregatione W peregit. E novitiatu Fratrum Q dimissus, Rev.dus X in Abbatiam Ordinis R in pago v.d. T in Z ingressus est, sed recepta die 25 iulii 1987 ordinationem sacerdotalem, die 1 septembris 1988 sine licentia Superiorum in Dioecesim N emigravit, cui, obtento die 23 novembris 1989 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae indulto exlaustrationis, die 12 ianuarii 1995 incardinatus est.

Die autem 1 augusti 2004 officio parochi in pago v.d. S renuntiavit, sed postea acceptionem renuntiationis apud Congregationem pro Clericis frustra impugnavit, censens condiciones adimpletas non fuisse.

Dein ab officio administratoris paroecialis in pagis v.d. L et LL die 1 novembris 2009 ob gravia dissidia orta amotus et ad officium cooperantis paroecialis (v.d. *mitarbeitender Pfarrer*) in Vicariatu Foraneo M cum sede in P, servato tamen titulo parochi, nominatus est.

Mense vero ianuario 2013 querimoniae parentum cuiusdam iuvenis quatuordecim annorum ob prava amplexus ad Ordinarium pervenerunt. Ab aliis quoque personis relatum est Rev.dum X alium iuvenem quatuordecim annorum utpote comitem ad vacationum tempus in Z et iuvenem duodeviginti annorum ad locum salubrium acquarum secum visitandum invitavisse.

Exc.mus Episcopus N tunc die 22 februarii 2013 decretum suspensionis cautelarum ab omnibus officiis necnon prohibitionis celebrationis vel concelebrationis coram populo Sacrificii Eucharistici tulit.

Iudiciali interrogatorio ob denuntiatos abusus minorum peracto, Exc.mus Episcopus N die 21 octobris 2013 decretum tulit, quo statuit: 1) Rev.dus X inde a die 1 novembris 2013 in statum quiescentiae remittitur; 2) ventantur celebratio et concelebratio coram populo Eucharistiae sine praevia licentia Ordinarii loci, celebratio baptismorum et matrimoniorum, praedicatio et orationes de doctrina catholica, participatio in actuositatibus minorum et iuvenum.

Remonstracione diei 31 octobris 2013 ad Exc.mum Episcopum N ob defectum rationum die 11 novembris 2013 reiecta, Rev.dus Recurrens die 22 novembris 2013 rationes remonstracionis ad eundem Praesulem misit. Recepta autem responsione negativa, Rev.dus X die 31 decembris 2013 ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae recursum, attenta defensione Exc.mi Episcopi diei 12 februarii 2014 cum permultis documentis adnexis, die 2 aprilis 2014 (prot. n. 20140661) reiecit.

Quo decreto die 12 aprilis 2014 notificato, Rev.dus X tandem die 10 iunii 2014 recursum ad H.S.T. interposuit.

Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, praehabitis memorialibus Patronorum utriusque partis necnon voto Promotoris Iustitiae Substituti, re sedulo examini subiecta, in Congressu coram Em.mo Card. Praefecto die 23

iunii 2015 habito, decrevit recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admittendum esse atque admitti.

Unde hoc dubium die 26 iunii 2015 concordatum est: *An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 2 aprilis 2014 latum.* Acceptis dein memorialibus utriusque partis Patronorum et voto Promotoris Iustitiae Substituti, nunc praefato dubio respondendum est.

In iure et in facto

De assertis legum violationibus in decernendo relate ad remissionem in statum quiescentiae

Pacificum est Rev.dum X usque ad hodiernum diem titulum parochi conservare, sed officium parochi paroeciae in pago v.d. S iam ope renuntiationis, ab Exc.mo Episcopo acceptae, amiserat. Frustra in instantiis diebus 27 iulii, 16 augusti et 29 septembris 2005 ad Congregationem pro Clericis missis contendebat renuntiationem sub condicione oblatam fuisse et Exc.mum Episcopum condicionem non servavisse. Congregatio praefatas instantias enim iam litteris diei 22 novembris 2005 reiecerat.

Unicum proinde officium ecclesiasticum, quod Rev.dus X inde a die 1 novembris 2009 usque ad remissionem in statum quiescentiae retinebat, erat officium cooperantis in Vicariatu foraneo

M (v.d. A *im* B) cum titulo parochi. Decretum nominationis expresse indicat cann. 545-552 de vicariis paroecialibus. Officium autem cooperantis (v.d. A, in Dioecesi N etiam *Subsidiar* appellatum) sacerdotibus confertur, qui variis ex rationibus ab officio parochi cessaverunt et dein, servato titulo parochi, ad instar vicarii paroecialis stabiliter in una vel pluribus paroeciis cum parochis adlaborant. Quod de officio ecclesiastico agebatur, corroboratur litteris Rev.mi D ad Rev.dum X die 29 octobris 2013 datis, iuxta quas anni ministerii usque ad diem 31 octobris 2013 computati fuerunt.

*De asserta absentia iustae causae
amotionis ab officio*

Iuxta can. 552 amotio a praefato officio iusta causa fieri potest. Agitur enim de officio quod secundum prudentem discretionem Episcopi confertur (cfr. can. 193 § 3). Iuxta Cl.mum Rev.di Recurrentis Patronum tamen deesset iusta causa ad amotionem statuendam.

Ratio vero, qua nismus Exc.mus Episcopus die 21 octobris 2013 remissionem in statum quiescentiae statuit et Congregatio pro Clericis die 2 aprilis 2014 recursum hierarchicum reiecit, in amissione idoneitatis ad exercitium publicum ministerii sacerdotalis consistit, quod utpote iusta causa sufficit. Praefata causa bene comprobatur ex voto Rev.mi Vicarii iudicialis adiuncti diei 18 octobris 2013, quod permultis documentis in positione exstantibus nismus est.

*De defectu decreti amotionis
ab officio*

Rev.dus X ab officio cooperatoris necnon a ceteris muneribus (e.g. celebrantis ritus extraordinarii) receptis denuntiationibus de modo sese gerendi cum iuvenibus decreto diei 22 februarii 2013 usque ad finem inquisitionum circa facta et accusationes suspensus erat. Exc.mus Episcopus dein amissionem officii cooperatoris in decreto remissionis in statum quiescentiae diei 21 octobris 2013 non explicitè indicavit, sed claris verbis cessationem a quacumque participatione in cura pastorali statuit, quod officium cooperatoris certo certius comprehendit.

Sive decretum Exc.mi Episcopi sive impugnatum decretum Congregationis pro Clericis duo statuunt, nempe explicitè remissionem in statum quiescentiae et implicitè cessationem ab officio cooperatoris (*mitarbeitender Pfarrer*). Exstat iusta causa amotionis et agitur de officio, quod ad normam can. 193 § 3 iuxta prudentem discretionem auctoritatis confertur et ergo iuxta eandem discretionem auferri potest.

***De assertis legum violationibus
in decernendo relate ad restrictiones
impositas***

*De illegitimate comminationis dimissionis
e statu clericali*

In calce ad decretum remissionis in statum quiescentiae diei 21 octobris 2013 Exc.mus Episcopus pro casu defectus observantiae restrictionum inter

alias comminatus est dimissionem e statu clericali. Congregatio pro Clericis hac de re non egit, sed decretum Episcopi confirmavit. Quam ob rem Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus contendit eam illam comminationem confirmavisse.

Cum autem Exc.mus Episcopus dimissionem e statu clericali imponere nequeat, utpote clausula non adiecta censenda est: ad summum agi potest de comminatione eam, si et quatenus, a Superiore Auctoritate petendi. Non est itaque commorandum in hac quaestione, quia nullum effectum in Rev.dum Recurrentem peperit.

*De criterio proportionalitatis
in impositione restrictionum
ope decreti*

Exc.mus Episcopus N in decreto suspensionis ab officio cooperantis et prohibitionis exercitii ministerii sacerdotalis die 22 februarii 2013 lato ad Ordinationes Conferentiae Episcoporum F circa abusus minorum et ad Ordinationes Dioecesis N remisit, nullo tamen articulo indicato. In quibus documentis admittitur impositio quarundam restrictionum ex parte Episcopi dioecesani etiam in casibus, in quibus ob defectum delicti poenae irrogari nequeunt.

Recepta relatione circa investigationem praeliminarem, Exc.mus Episcopus N, causa poenali haud instituta, votum Vicarii iudicialis adiuncti sequens, die 21 octobris 2013 omnes restrictiones ab eo nulla lege adducta propositas imposuit et Congregatio in decreto impugnato eas utpote legitimas probavit.

Tam Exc.mus Episcopus quam Congregatio in decreto impugnato nu-

Illam causam pro impositione restrictionum indicaverunt praeter assertionem Rev.dum Recurrentem idoneitatem ad exercitium ministerii amisisse.

Criterion proportionalitatis inter assertum defectum idoneitatis ad ministerium et restrictiones impositas nunc singillatim perpendendum est.

De prohibitione celebrationis Eucharistiae coram populo

Exc.mus Episcopus N tamen celebrationem Eucharistici Sacrificii ita coarctavit ut singillatim licentia scripta Ordinarii loci petenda sit. Exc.mus Episcopus in litteris diei 12 februarii 2014 tamquam rationem prohibitionis sacramentum Eucharistiae coram populo celebrandi adduxit necessitatem Rev.di X pro indole ad altercationes propensa a cura pastoralis arcendi.

Haec vero ratio prohibitioni celebrationis coram populo in tota dioecesi proportionalis non videtur. Iuxta enim H.S.T. iurisprudentiam “nullo modo requiritur deputatio ex parte Ordinarii ad exercendas facultates ipsa lege universali concessas; Presbyteri utique munus sanctificandi sub Episcopi auctoritate exercent (can. 835 § 2), sed eius potestas moderandi exercitium muneris sanctificandi ex parte presbyterorum haudquaquam aequari potest cum potestate illud exercitium tollendi, nisi ad normam iuris, speciatim quod attinet ad facultates ipsa lege universali concessas” (decretum Congressus coram Vallini, diei 13 iunii 2008, prot. n. 38962/06 CA).

*De prohibitione administrationis baptismi
et assistentiae matrimonii*

Exc.mus Episcopus N Rev.dum Recurrentem non invitavit ad servandas leges Ecclesiae, quae requirunt licentiam parochi ad licitam collationem sacramenti baptismi et delegationem ad validam assistentiam ad nuptias, sed expresse prohibuit, quominus licentiam vel facultatem a parochi competenti peteret.

Non exstat autem in actu impugnatione Exc.mi Episcopi N vel in decreto Congregationis ratio specifica huius vetiti. Servatum ergo non est criterium proportionalitatis relate ad prohibitionem petendi licentiam baptizandi et delegationem ad matrimonii assistentiam.

*De prohibitione praedicandi et orationes
religiosas proponendi*

Ad normam can. 764 Exc.mus Episcopus facultatem praedicandi etiam citra delictum restringere vel revocare potest. Exstare videtur in casu proportionalitas scilicet nexus inter ablationem facultatis praedicandi et divisiones inter fideles etiam catechesi et verbi Dei praedicatione provocatas. Praeterea non agitur de restrictione nova, sed iam pluries temporibus praeteritis facultas praedicandi restricta erat, sed frustra, quia Rev.dus X praecedentes restrictiones facultatis praedicandi non servavit.

Ceterae prohibitiones, nempe interventus in coetibus iuvenum, pernoctationis cum iuvenibus necnon administrationis sacramenti poenitentiae infantibus et iuvenibus infra duodevi-

ginti annos in recursu diei 9 iunii 2014 ad H.S.T. impugnatae non sunt.

De sustentatione

Rev.dus X conqueritur se ob remissionem in statu quiescentiae inde a die 1 novembris 2013 remunerationem parochi non amplius recipere. Litteris diei 29 octobris 2013 responsum est Rev.dum Recurrentem inde ab ordinatione diaconali per 26 annos ministerium explevisse (1987-2013). Sacerdos post 26 annos ministerii ad normam § 7 v.d. *Versorgungsordnung für die Priester des Bistums N in der Pfarrseelsorge* 48,26 % salarii parochi activi (4.945,32 €), scilicet summam mensilem 2.386,62 € percipit, supplemento pro habitatione iam incluso, quod cum pensionibus aliarum dioecesium F relate ad sacerdotes, qui infra triginta annos ministerii in statum quiescentiae remissi fuerunt, congruere videtur.

Exc.mus Episcopus tamen remunerationem supremi officii, a Rev.do Recurrente expleti, scilicet parochi, ad computandam sustentationem adhibuit, ergo merito asseruit normas de sustentatione modo Rev.do Recurrenti favente applicatas fuisse. Congregatio pro Clericis in impugnato decreto pensionem recte probavit asserens Ordinarium pensionem debitam nullo modo imminuisse.

Conclusio

Omnibus in iure et in facto aequematis, infrascripti Patres, Christi No-

mine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Affirmative, seu constare de legis violatione in decernendo relate ad decretum Congregationis pro Clericis die 2 aprilis 2014 latum, sed tantum quoad restrictiones relate ad celebrationem Eucharistici Sacrificii coram populo necnon administrationem baptismi et assistentiam matrimoniis impositas.

Restituatur summa 1.000,00 € e cautione pro expensis iudicialibus a Rev.do Recurrente in arca H.S.T. deposita. Ipse suo Cl.mo Patrono atque Congregatio pro Clericis et Exc.mus Episcopus suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 ianuarii 2016.

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Antonius Maria Card. ROUCO VARELA

Atilius Card. NICORA

+ Stanislaus ZVOLENSKY, *Ponens*

+ Antonius STANKIEWICZ